



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. ex cujus libris excerptum fuisse verisimile est, & à Philone seniore
Graece redditum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Tertium argumentum.


IV. Cur autem Ezechiae familiaribus id adscriperint Thalmudista, nullam aliam possum comminisci causam, quam quia libri Proverbiorum pars quaedam ab ipsis collecta est, ut supra diximus; & Ezechiae ipsi libri Ecclesiasticis compositionem iidem Thalmudista censuerunt esse adscribendam. Verum nemo non videt, à Proverbiis & Ecclesiaste ad Canticum quam sit ἀναλόγουτον πόρρωμα. Sin suspicetur aliquis, inde fortasse opinatos esse Thalmudistas, non Salomonis opus esse Canticum, sed Salomoni affectum, & ex ejus persona compositum, quod in Libri titulo nomini Salomonis, non ה' aut ה"י, quae notae sunt genitivi, sed ה, quae servit dativo, praefigatur: sciat ille traditum esse à Grammaticorum filiis, articulum ה, non dativum solum, sed genitivum etiam & accusativum aliquando notare. Ita capite primo libri primi Regum ה'י'י' vertunt Septuaginta, & primo Malachiae capite, ה'י'י'י' vertunt iidem, & יאזבל. Sciat is quoque Psalmos qui initio praefixum habent ה'י'י', à praeis ipsis Rabbini Davidi auctori adscribi, ut observavi supra. Itaque hoc loco Cantici, Vulgata editio habet, Salomonis. Ita & Thargum, & Syrus, & Arabs.

1. Reg. 1. 3. Mal. 1. 2.

Quartum argumentum.

V. Hic ipse titulus, qui clarum Auctoris dat indicium, opere ipso recentior, & ascititius credi potest, quod pleraque vetustiorum scripta lemmatis titidem insignita sint, multo postquam ex Auctorum manibus exierunt. Verum is extat in Septuaginta Senum interpretatione: eundem agnovit Origenes: neque de eo aliter existimandum est ac de Psalmodum titulis, unde ipsorum Auctores certo cognoscuntur.

Orig. Comm. in Cantic.



DE LIBRO SAPIENTIAE.

I. Disputatur de Auctore libri Sapientiae. Salomoni adscribitur: II. ex cuius libris excerptum fuisse verisimile est, & à Philone seniore Graece redditum. III. Probatur ejus ἀρχαιότης & antiquitas. IV. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. V. Secundum argumentum.

Disputatur de Auctore libri Sapientiae. Salomoni adscribitur. Sap. 9. 7, 8.

I. F O E T U M quoque Salomonis esse librum Sapientiae multa persuadent: primum ipse titulus, qui in Graeca interpretatione, & Syriaca, & Arabica, & Rabbini aliquot, qui Salomonem auctorem appellant: atque haec praeterea è capite nono Libri hujus, quae rem omnino evincunt: Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum, & dixisti me aedificare Templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuae altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod preparasti ab initio. Et alio loco: Disponam populos, & nationes mihi erunt subdite: timebunt me audientes reges horrendi. Tum: Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Deinde: Adii Dominum, & deprecatus sum illum Deus patrum meorum da mihi sedium tuarum assidricem sapientiam. Et alibi: Disponam populum tuum iuste, & ero dignus sedium patris mei. Quae Salomoni, nec ulli praeterea, omnia conveniunt. Ad haec pleraque habet iste Liber, quorum consimilia in libro Proverbiorum reperias: praecipue vero de Sapientia eadem utrobique disputantur.

Sap. 2. 14, 15. Sap. 8. 19. Sap. 2. 21. & 9. 1, 4.

ex cuius libris excerptum fuisse verisimile est, & à Philone seniore Graece redditum.

II. Quamvis autem nunc Graece duntaxat scriptum extet primigenium operis hujus exemplar, nihilominus sententiae huic quam proponimus sua constat fides; ex Ebraico siquidem archetypo, vel conversum esse, vel collectum, pluribus indicisprehenditur: nam & in eo Ebraismi occurrunt, & carmine adstrictum fuisse, perinde ut reliquos Salomonis libros, & Jobum, & Psalmos, nonnulli è Veteribus memoriae prodiderunt. Nunc autem cum prosa oratione scriptum Graece habeamus, hinc efficitur ea lingua, unde prodiit, versibus fuisse comprehensum. Nulla vero lingua, praeter Ebraicam, assignari alia potest. Testificatur quidem R. Moses ben Nachman se librum hunc Chaldaice scriptum vidisse: verum è Graeco conversum puto ab aliquo ordinis Rabbiorum, sodalibus suis gratificante, cum eos insigni hoc Salomonis opere carere noller, quod ספר הוכמתא רבתא דשלמה, Librum sapientiae magna Salomonis appellare solent. Nec à Salomone ipso Chaldaica lingua exaratum fuisse ausus est aperte asseverare R. Azarias: sed cum verba ipsa Nachmanidae adduceret in testimonium in libro Imre binah, conjectat Chaldaice à Salomone esse scriptum, in gratiam regis alicujus ad Orientem positi; אמ לא נעתק, si non sit conversus. Itaque disquirenti mihi scriptiois illius originem, id ad animum mihi verisimillimum occurrit, unam hanc fuisse ex plurimis sententiarum compilationibus ac eclogis, quas ex magno ethicorum ac gnomiorum Salomonis librorum numero produisse diximus; à viro pio

R. Mos. ben Nachm. Procl. Comm. in Pentat.

R. Azar. Imr. bin. cap. 19.

ac studioso excerptam, & Græco deinde sermone liberius explicatam. Minime quidem reperitur in Canone, quod collectiones illæ, etsi è genuinis Salomonis scriptio- nibus provenerant, totaque Salomonis segminibus contextæ erant & confutæ, non tamen ut meræ Salomonis scriptioes habebantur; ut pote quas privati homines pro arbitrio suo & captu digessimus. Ut ergo hominum illorum haudquaquam par erat auctoritas, ita nec eadem fuit collectionum existimatio. Aliquarum etiam ignorari po- tuerunt Concinnatores, proptereaque ut dubiæ & incertæ fidei repudiari. Meminerimus præterea persuasum esse Judæis, admissos ab Esdra & Synagoga magna in Canonem hos tantum libros, qui compositi essent per hujusmodi afflatum, quem Spiritum sanctum appellabant: cujus generis habitus ab illis non est liber Sapientia. Sic supra laudatus R. Azarias. Quid si dicamus post obsignatum à Synagoga magna & clausum Cano- nem, repertas esse fortassis aliquas ex Salomonis compilationibus quas dixi, ac id- circo ab eo exclusas, & inter apocryphos libros rejectas; unde tamen emerferint, non- nullæ sequenti ævo, & auctoritatem apud Hellenistas, ac locum tandem in Cano- ne sint adeptæ? Videtur ista quidem, quæ Sapientia inscribitur, celebrari cœpisse, postquam Græcè exposita est à Philone Seniore. Est enim apud Hieronymum non- nullos Scriptorum veterum, Librum hunc adscripsisse Philoni Judæo. Philonem Senio- rem intellige, qui Judæorum Regum historiam scripsit: nam qui ad Philonem alte- rum Christo recentiorum referunt, non satis attenderunt plurimum discrepare stilum utriusque, & pleraque ex eo Libro depromissis Scriptores alios Philone hoc vetustio- res, neque inter ejus scripta recenseri, quorum indicem Eusebius & Hieronymus con- cinnarunt. De prisco Philone satis multa diximus supra, cum exoticorum Auctorum, qui Mosis meminissent, seriem pertexeremus. Nunc itaque animadvertendum super- est, hanc Scriptorum veterum opinionem, quæ Philoni Seniore librum Sapientia tri- buit, ita proponi ab Hieronymo: Liber Sapientia apud Ebraeos nusquam est: quin & ipse stilus Græcam eloquentiam redolet; & nonnulli Scriptorum veterum hunc esse Judæi Phi- lonis affirmant. Apud Ebraeos nusquam esse ait; quia ipsius jam ævo Ebraicum exem- plar, unde fuerat exceptus, interciderat: Græcam redolere eloquentiam; quia in eo Græcè representando non castigatum ac pressum, sed liberum ac fufum stilum Philo adhibuerat. Certe ex Hellenistarum grege fuit Philo iste: Hellenistas autem fere om- nes Ebraicæ loquelæ mediocrem constat habuisse notitiam, ac prope nullam. Hujus gregis fuerunt Philo Alexandrinus, Platonis imitator, & Josephus, qui suis scriptio- nibus Ebraicæ linguæ rudes se prodiderunt. Igitur ad assequenda verba, & introspi- cendos sensus libri Sapientia, Interprete usum puto Philonem Seniore, & res sibi rudius expositas fufius deinde ac subtilius retulisse.

Hier. Praef. in
libr. Salom.

III. Cæterum cum triplici modo spectari possit iste Liber, vel qualis in ipsis Sa-
lomonis libris, vel qualis in compilatione librorum illorum, vel qualis in Græca com-
pilationis hujus interpretatione habitus est; ex singulis arcessitas nanciscimur senten-
tias apud posterioris ævi Scriptores sacros. Velut ex Salomonis scriptis illud Isaiæ:
*Quia hæc dicit Dominus Eunucho; Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego vo-
lus, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen
melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit:* quæ manifeste ex
istis libri Sapientia verbis derivata sunt: *Spado qui non operatus est per manus suas iniqui-
tatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, &
sors in Templo Dei acceptissima.* Hoc quoque Isaiæ: *Venite, sumamus vinum, & implea-
mur ebrietate; prodiit haud dubie ex illis Sapientia: Venite ergo, & fruamur bonis quæ
sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter, vino pretioso & unguentis nos im-
pleamus.* Item istud Isaiæ: *Quis adjuravit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, &
offendit illi? germanum est illius è libro Sapientia: Quis enim hominum poterit scire con-
siliium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Non aliter idolorum fabricationem
& cultum deridet Jeremias capite decimo, ac derisa ea viderat eo loco libri Sapien-
tia, qui est capite decimo quarto. Scriptum est in libro Tobia: *Magnus es, Domine,
in æternum, & in omnia secula regnum tuum: quoniam tu flagellas & salvas; deducis ad
inferos & reducis: sumtum hoc est ex istis libri Sapientia: Tu es enim, Domine, qui
vita & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* At verba hæc
Ecclesiastici: *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum:*
habebantur in *ουλογοῖν* ex Salomonis scriptioibus excerpta; quæ ita in libro Sa-
pientia concepta sunt: *Deus creavit hominem inextermabilem, & ad imaginem si-
militudinis sue fecit illum.* Quoniam autem ex omni sacrorum Scriptorum numero,
uni omnino Machabaicorum auctores Philonem Seniore ætate subsecuti sunt, ii-
que in argumento historico versati oppido paucas, ac propemodum nullas ex *ἡρώ-
δου* operibus sententias arcessere, ac libris suis infarcire necesse habuerunt; inde

Probatur
ejus veritas
& antiqui-
tas.
Isa. 56. 4.

Sap. 3. 14.

Isa. 56. 11.

Sap. 2. 6.

Isa. 40. 13.

Sap. 9. 13.

Jer. 10. 3.

Sap. 14. 11.

Tob. 13. 1. 2.

Sap. 16. 13.

Eccli. 17. 1.

Sap. 1. 23.